



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Centvriæ Selectorvm Casvvm Conscientiæ. I. II. III.tia**

**Burghaber, Adam**

**Fribvrgi Brisgoiæ, 1665**

14. Campanvs Confessarius permittere potest, vt pñitens statim post confessionem ad S. Eucharistiam accedat, etiamsi priore nocte pollutionem habuerit voluntariè aut inuoluntariè: vel etiam actum ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40942**

inter duos reos: in posteriore autem isto quaeratur defensio iusta innocentis ab aggressore & damno graui.

XIV. *Campanus Confessarius ait, accidere subinde, vt aliquis veniat ad confessionem statim inde ad S. communionem sumendam abiturus, qui tamen fatetur, se præcedente nocte pollutionem vel voluntariè fecisse, vel præter voluntatem passum fuisse, aut solius voluptatis causâ actum conjugalem exercuisse: se autem valde hæerere, num istud absque vlla veniali culpa fieri permissiue possit? Queritur. Quid hac in re sentiendum?*

Videtur talem sub veniali per aliquod temporis spatium teneri, abstinere se à sacra communione, ita post Sanchez & alios Card. de Lugo de Euch. D. 17. n. 22. Tum quia olim fuit prohibitum, accedere ad Eucharistiam post actum conjugalem. Tum quia qui per aliquod temporis spatium non abstinet, videtur aliquam Christo puritatis & Castitatis authori facere irreuerentiam. Tum quia sicut indecens est, vt pollutus accedat ad conuiuium Principis, ita indecens est, vt carnali peccato pollutus ad tantum sacramentum accedat. Tū quia huiusmodi actus exercitus nō parū abstrahere solet mentē à diuinis, adeoque devotionem impedire, cum qua hoc sacramentum sumi oportet.

Respon. Talem, per se loquendo, post prædictos actus accedere ad sacram Eucharistiam,

stiam, & à Confessario permitti posse. Ita Ioannes Sanctius in *selectis Diss.* 23. & post alios magni nominis DD. relatos apud Dianam *tum alibi, tum P. 10. Tr. 16. Res 33. P. Dicastillo de sacram. Tom. 1. Tr. 8. D. 9. dub. 14. n. 245.* Probat. Tum quia accedens dignè ad sac. Eucharistiam non peccat venialiter. Atqui talis accedit dignè: Ergo &c. Prob. Min. Iuxta Conc. Tridentinum dignè accedit, qui nullius sibi peccati mortalis est conscius. Atqui talis est tam is, qui actum conjugalem solius voluptatis causâ exercuit, aut pollutionem præter voluntatem passus est, quàm qui hanc voluntariè quidem fecit, attamen per confessionem se probavit. Ergo, &c. Tum quia purificatus per confessionem est iustus, amicus, & Filius Dei. Ergo non facit iniuriam Deo, accedendo ad Eucharisticam huius mensam, nec censeri potest accedere ad istam Principis mensam pollutus. Tum quia sacra communio multa homini dignè accedenti præstat bona. Ergo non facilè talis ab eadem est arcendus, nisi alia causa aliud postulet, unde signatè dixi, *per se loquendo.*

*Ad rationes in contrarium dicimus, si quid probent, ad sumum euincunt congruitatem aliquam, nullam verò obligationem etiam sub veniali. Præceptum non accedendi ad sac. Eucharistiam post actum conjugalem, si quod olim propter peculiarem aliquam circumstan-*

circumstantiam extiterit, iam pridem cessauit, ut omnes fatentur.

XV. *Cassius debebat Casandro 100. florenos, eosque soluit, sed non recepit ab eo apocham. Casandro mortuo heredes bonâ fide iterum exigunt illos 100. florenos. Cassius destitutus probatione pecuniæ iam semel numeratæ Casandro à Iudice condemnatur ad soluendum heredibus. Queritur. Vtrum Cassius stare hâc sententiâ teneatur, quam scit materialiter iniustam: aut occulta compensationis viâ uti possit?*

Videtur non teneri: Quia iniusta sententia non inducit obligationem. Nec tamen idcirco uti potest occultâ compensatione, si illos centum florenos iterum soluit. Tum quia ex communi DD. non licet priuato inuadere munus Iudicis, quod in proposito attentaret Cassius. Tum quia sic non solueret, uti tamen iussus est à Iudice.

Resp. I. Cassius in conscientia obligatus est ad soluendum 100. florenos heredibus postulantiibus. Ita communis, & ratio est, quia legitimæ iudicis sententiæ parendum est: neque vnquam permissum est, subdito contra Magistratum potestate suâ legitimè videntem insurgere siue resistere. In proposito autem casu sententia & condemnatio legitimè fuit lata, utpote secundùm publicas leges; Iudex enim in mandatis habet, ut secundùm allegata & probata iudicet. Ergo Cassius tenebitur